Lane Medical Library

NONNULLA DE HYPERTROPHIA CORDIS IN MORBO BRIGHTII.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE GRYPHICA

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

1862

DIE VIII. MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOSEPHUS GEUENICH,

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

H. DUEFFELS, MED. CAND.
C. BREMHORST, MED. CAND.
R. SCHAEFER, MED. CAND.

GRYPHISWALDIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE PAGELLAS

PIETATIS GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE VULT

FILIUS.

Accidit saepissime, ut ad morbum Brightii jam magis progressum cordis hypertrophia accedat. Jam Brightio, qui sine dubio egregie meritus esse dicendus est, quod primus accuratas diligentesque de nephritide quaestiones instituit, illa res nota fuit. Post eum multi alii animum ad hanc rem attenderunt, in quibus Frerichs, Gregory, Rayer. Frerichs 292 sectiones hominum morbo Brightii abreptorum enumerat, quorum 42 solam hypertrophiam habuerunt, quamquam non alii cordis morbi inventi sunt. Quamquam in his casibus etiam nonnulli fuerunt, quorum cordis hypertrophiam morbis pulmonum antegressis ortam fuisse apparuit, attamen si illos detraxeris adeo magnus numerus restat, ut id profecto concedendum sit, inter utrumque morbum conjunctionem intercedere. Quam ut accuratius clariusque comprobarent atque confirmarent cum multi alii tum maxime hoc tempore duo viri excellentissimi: Traube et Bamberger summopere contenderunt, sed ne ab illis quidem haec quaestio ita explicata atque illustrata est, ut haec res plane ad finem perducta sit.

Liceat igitur nobis omnibus explicandi conatibus, qui antea facti sunt, omissis horum duorum virorum sententias paucis exponere: Traube haec fere dicit: In morbo Brightii renum parenchyma corrugatur et parvae quae per illud permeant arteriae decrescunt, quibus rebus Aorta, cui nunc minor copia liquoris ad urinam secernendam detrahitur, nimis sanguine impletur. Hac ratione Aorta ejusque rami magis magisque extenduntur eademque de causa impedimenta, quae sanguini ex ventriculo sinistro effluenti obsistunt, augentur itaque dilatatio et hypertrophia cordis existunt. At contra Bamberger: Jam in altero stadio, quo arteriarum renalium nondum ulla devastatio apparet, saepe cordis neque solius ventriculi sinistri sed etiam totius cordis hypertrophia, praeterea pro dilatatione Aortae stenosis saepe invenitur Denique haud probabile esse contendit, paucas illas arterias renales, quae vastatae sunt, extensionem Aortae ejusque ramorum tantopere amplificare posse, quum ne ligatura quidem majorum arteriae ramorum hoc efficere inter omnes constet.

Multis exemplis allatis ostendit in plurimis casibus ob morbum Brightii morbos exoriri, quibus cordis hypertrophiam effici satis compertum est, veluti endocarditim, myocarditim, pericarditim, adiposam degenerationem cordis musculorum. Tantum vero abest, ut his quae Bamberger explicuit, haec res absoluta sit, ut potius multa hypertrophiae genera in morbo Brightii nobis occurrant, quorum cognitio usque ad hoc tempus difficilis atque obscura

est. Quantum hac Bambergeri disputatione sententia, quam Traube protulit, refutata sit, dijudicare non audemus, id autem manifestum est, quod ne Bamberger ipse quidem dubitat, morbo Brightii amplius progresso saepissime reapse cordis hypertrophiam effici.

Est nunc nobis quaerendum, quae sit vis, quam cordis hypertrophia in morbo Brightii exoriens, in progressum morbi exerceat.

Nemo nescit in morbo Brightii pericula, quae hydrope et uraemia excitantur, vitae perniciosissima esse. Accidit enim, ut in haud paucis casibus brevi tempore hydrope nimis progresso, si hic celeriter cava serosa et pulmonum alveolos corripit, mors eveniat. Cogitantibus nobis, quam perniciosi pulmonum morbi hydrope provocentur, quam saepe vehementibus hydropis exsudationibus corpus jam satis debilitatum magna albuminis jactura, quam secum ferunt, plane exhauriatur, sane concludendum est, hydrope fere semper letum effici.

Ut quam perniciosa sit uraemia intelligatur tantummodo quae Frerichs et Lebert observaverunt nobis in mentem revocemus. Alter enim in tertia parte, alter in majore quam quinta parte omnium morbi Brightii casuum mortem uraemia provocatam viderunt. Cordis autem hypertrophiam imprimis esse, quae compensandi vi et hydropem et uraemiam aliquo modo prohibere possit, paucis verbis explicare animum induximus, qua in re subtilibus disquisitionibus Traube, viri doctissimi, adjuti sumus. Sat

multis observationibus clinicis probatum est in iis casibus morbi Brightii, in quibus urinae secretio per totum morbi tempus parva fuit, semper hydropem celeriores facere progressus. Item exploratum est urinae copia decrescente eo ipso tempore hydropem celeriter auctum, et vice versa urinae secretione subito crescente haud minus cito hydropem deminutum esse et multo meliorem valetudinis conditionem, adeoque etiam in acuta Nephritide plerumque convalescentiam accidisse.

Nulla vero re magis copiae urinalis auctio effici potest, quam hypertrophia cordis. Clinicis experimentis comprobatum est in quibusdam cordis morbis, qui agendi facultatem illius imminuunt, eadem ratione qua cordis actionem decrescere urinae copiam deminui. Ut primum igitur in his casibus cordis vis denuo aucta est, etiam urinae secretio major fuit. Quae sententia quam vera sit Traube hoc exemplo demonstrat luculentissime: „Apud virginem, quae magnum pleuriticum exsudatum praebebat, quo haud dubie libera cordis actio impediebatur, urinae copia magnopere erat deminuta. Quum punctio facta esset et circiter 30 unciae puris emanassent, actione cordis rursus restituta urinae quoque secretio brevi post maxime aucta est. Addendum est experimentis ad quaestionem illam, quam supra dixi, illustrandam institutis cognitum esse quum nervus vagus apparatu electrico adhibito excitatus sit una cum deminuta cordis actione perpetuo urinalis copiae deminutionem exoriri. Qua ex re haud difficile est con-

cludere in actione cordis aucta itaque etiam in hypertrophia cordis urinae copia exaugescat oportere.

Quod ad uraemiam pertinet notum est hanc quoque ob secretionem urinae prohibitam existere et quidem ex sententia, quae a Frerichs prolata et fere omnibus probata est, hunc in modum: Cum secretio urinae impedita est, urera in sanguine colligitur, quae in Ammonium carbonicum mutatur. Hoc „Gas“ perniciosam illam vim in nervos exercet. Traube in dissertatione sua, quae inscripta est „Ueber den Zusammenhang von Herz- und Nierenkrankheiten“ experimenta a Goll facta (quae enumerare longum est) affert, e quibus elucet in extensione aortae ramorumque ampliore facta atque ita etiam in hypertrophia cordis non solum aquae copiam, sed etiam solidas partes urinae adaugeri. Haud multo post J. Picard observavit ut copiam Natri chlorici crescere ita eadem ratione ureram sine ulla exceptione augeri. Ex his omnibus, quae a nobis explicata sunt, quantam utilitatem cordis hypertrophia ea re quod ureram exauget afferat apparet.

Si nunc cum effectibus illis prosperis, quos supra demonstravimus, pericula, quae hypertrophia in morbo Brightii excitare potest, comparamus, cerebri apoplexia nobis sola digna videtur, quae memoretur. Haec haud ita raro, in trigesima circiter parte omnium casuum, invenitur, quod facile ea re explicatur, quod una cum morbo Brightii saepe degenerationes atheromatosae arteriarum exoriuntur,

quibus pericula auctae cordis actionis multo graviora fieri constat.

Non longe abhinc tempore in nosocomio, quod hac in urbe est, sectio hominis facta est, cujus mors morbis illis consecutivis erat effecta. Mihi in animo est hunc casum accuratius explicare quippe qui, ut equidem opinor, praeclare probet cordis hypertrophiam propter morbum Brightii existere et quam vim et prosperam et malam illa in progressum morbi exerceat.

Historia morbi.

Jacobus Juhl, faber navalis, 76 annos natus, aestate anni 1861 in nosocomium receptus est. Dixit se paucis diebus ante quum laboraret subito cecidisse et circiter dimidiam horam mentis non compotem humi jacuisse. Ab hoc tempore se magna imbecillitate et lassitudine affectum esse. Imprimis capite se laborare dixit. Nausea vomitusque non aderat et appetitus bonus. Sinistra faciei pars paullulum dependet, linguae mucro paullulum ad sinistram propendet, sinistra manus non tam firme comprimi potest quam dextra, pes sinister trahitur. In apice cordis clarus systolicus strepitus auditur. In urina permagna albuminis copia inventa est. Hydropica vero symptomata in nullo corporis loco apparuerunt. Nonnullis hebdomadibus post quum omnia morbi indicia, albumine excepto, plane evanuerant, aegrotus ex nosocomio est dimissus.

Nov. 13. 1861. Juhl iterum in nosocomium recipitur. Ait se ab illo tempore, quum e nosocomio dimissus esset, per longum aestatis tempus bona valetudine usum. Ut tum rursus recipiatur, eam ob causam fit, quod denuo similis morbi tentatio eum invasit, quam quae supra a nobis descripta est. Iterum enim ob subitam animae defectionem ceciderat, attamen satis celeriter se receperat. In sinistro ore parietali habet vulnus circiter unum digitum longum effectum a casu in rem quandam acutam. Symptomata maximam partem eadem sunt quae supra commemoravimus: parvus torpor sinistrae corporis partis, interdum capitis dolores, nausea vomitusque non accidit, appetitus bonus, quotidie excretio. Item in cordis superiore parte systolicus ille strepitus clarus audiri potest. Praeterea etiam nunc in urina haud parva albuminis copia apparet. Sed tamen ne nunc quidem ullum hydropis indicium occurrit.

Dec. 13. 1861. Aegrotus ad id tempus bona valetudine fere semper fuit. Etiam vespero tertii decimi Dec. diei capitis doloribus se vacare et omnino satis bona valetudine frui affirmat. In coena vespertina subito cum magno clamore mentis impos corruit ac ne acerrimis quidem stimulantibus effici potuit, ut se reciperet. Acutum pulmonum oedema apparuit. Vaenesectione 12 unciarum facta celeriter maximi sonitus, qui per totum pectus diffusi erant, cesserunt. Pulsus est valde plenus, non accelleratus, excretio et minctio sua sponte fiunt.

Quum per noctem capiti membrana glacie plena imposita sit, aegrotus tranquille respirat, pulsus ejus plenus est, non intermittens. Animus nondum receptus.

Dec. 14. 61. iterum membrana glacie impleta applicata est, praeterea flor. Benz gr. v, pulvis secunda quaque hora datus.

Dec. 15. 61. Juhl omnibus mentis viribus bene utens queritur tantummodo de respirandi difficultate. Sonora respiratio auditur.

Dec. 26. 61. Juhl, qui interim modice mentis compos erat, subito vehementibus convulsionibus corripitur. Admodum frequens strepitus in pectore auditur. Quamquam vis electrica, frigidae lotiones, signapismique adhibita sunt, tamen non contigit, ut animum iterum reciperet, attamen respiratio tranquilla et aequabilis facta est. Membrana glacie impleta rursus applicatur, flor. Benz. gr. v altera quaque hora datur. Sequenti nocte ille incursus, quem modo declaravimus, iterum revertitur, aegrotus nonnulla cruenta sputa exspuit. Alvus et vesica in lectum exonerantur. Animus plane deficit, torpor non admodum apertus.

Jan. 1. 62. Ex ultimo appoplexiae impetu non plane integra ei meus revertitur, in latere sinistro se praebet torpor et manus et pedis, interdum aegrotus de doloribus capitis lamentatur. Sed quamquam per noctem et mane fere omnino mentis compos fuit, nunc subito convulsiones existunt, mens deficit, strepitus sonorus per totum thoracem auditur. Vi

electrica adhibita strepitus desinit, ventriculi contractione in ejus apice systolicus fremitus existit. Die proximo denuo duo existunt convulsionum impetus et septima hora vespertina oedema pulmonum exortum est atque aegrotus subito e vita discessit.

Cadaveris sectione haec cognita sunt:

Corpus validum, mediocriter nutritum. In mediastino multum pinguetudinis, in pericardio paullulum sanguinis.

Cor est maximum, apex ejus ventriculo sinistro formatus, qui ipse est dilatatus. Super ventriculum dextrum pericardium mediocriter crassum, in atrio sinistro paullulum sanguinis nigri, in atrio dextro multum sanguinis liquidi et multi thrombi, qui porriguntur usque ad arterias et venas. Etiam in ventriculo sinisto thrombi inveniuntur modice magni. Latera ventriculi sinistri sunt crassissima ejusque cavum maxime dilatatum. Cavum est longum $3\frac{1}{2}''$, latum $2\frac{1}{2}''$, musculi in basi et in medio crassi sunt $1''$, ad apicem $\frac{3}{4}''$, in ipso apice $\frac{3}{8}''$. Aorta est aneurysmatice dilatata et quidem super valvulas lata est $3\frac{3}{4}''$, infra truncum anonymum in dextro latere valde aneurismatice dilatata est. Tunica intima Aortae est aequaliter crassior et diversis locis sparsa maculis pinguibus. Vela in valvulis Aortae in margine libero crassissima sunt, ad basim multum calcis in illis ocurrit. Inferior valvularum pars est rigida, praeterea valvula posterior et externa fenestratae sunt. In anteriore valvulae mitralis lacinia

et praecipue in ejus basi incrustationes calcis magnitudine pisi inveniuntur, quae conjunctae sunt cum ipsis externis Aortae valvulis aliqua ex parte in calcem versis. Etiam posterior lacinia valvulae mitralis ejusque basis in calcem ex parte mutata sunt, quo fit, ut existat stenosis atrii venosi, quae tamen ita parva est, ut duo digiti eam facile permeare possint. Chordae tendineae valvulae mitralis sunt crassissima et inter se aliqua ex parte coalitae.

Et ipsum atrium dextrum omnibus partibus admodum dilatatum est, cavum ventriculi autem est normale. Musculorum natura est optima.

Arteria pulmonalis est dilatata, dimetiens est $3\frac{1}{8}''$ in valvulis. vela sunt tenuissima, pallida et longa.

Item valvula tricuspidalis loco insertionis condensata est.

Parietes arteriarum coronariarum condensati sunt atque summopere in calcem versi.

Glandulae suprarenales in sinistro latere atrophicae inveniuntur.

Capsula senum, qui in sinistro latere siti sunt, est apprime adiposa. Ipsi renes sunt parvi, longi $4''$, lati $1\frac{3}{4}''$, crassi $1\frac{1}{2}''$. Superficies eorum non constanter est granosa, subflava, multis granulationibus sparsa. Capsulam tenuem nullo modo a superficie divellere potes, nisi illam dillacerare vis. Superficies ipsa granosum praebet aspectum. Renes persecti substantiam medullarem praecipue autem substantiam corticalem offerunt magnopere tabes-

centes. Calices renum valde dilatati sunt et in inferiore extremitate pars pelvis renum fere disjuncta et materia subnigra impleta est.

Etiam glandulae suprarenales, quae in dextra corporis parte sitae sunt, minimas et corrugatas se praebent.

Eademque in parte invenimus renes longitudine $4\frac{1}{2}''$, latitudine $1\frac{3}{4}''$, crassitudine $1\frac{1}{2}''$. In superioris extremitatis parte reperitur cystis magnitudine pisi similis, quae frequentibus granosis ecchymosibus contecta est. Renes persecti eadem conditione sunt qua in sinistro latere. Membrana mucosa calicum et pelvis est crassissima, holoserici instar et multis ecchymosibus sparsa. In inferiore extremitate renum pelvis pars paene disjuncta eodemque loco materia granosa et nigra invenitur, quod idem in sinistra latere animadvertimus.

Cranium crassissimum, dura mater magnopere condensata, in osse parietali sinistro multae granulationes Pacchioni inveniuntur. Sinus longitudinalis latissimus in posteriore parte paullulum sanguinis diluti continet.

In altitudine verticis sinistra hemisphaera cerebri magnam praebet prominentiam. Dura matre detracta isto loco recens haemorrhagia mediocri circuitu invenitur atque praeterea multae parvae haemorrhagiae circumjacent.

Super istam prominentiam superficies valde compressa gyri magnopere declives facti, arteriae et venae sanguine carentes se praebent usque ad

minimos ramulos. Locus declivis ab anteriore usque ad posteriorem partem longus est 3″, latus $3\frac{1}{2}$″. Gyri et in apice lobi anterioris et in lobo posteriore parvas diametros habent.

Etiam in dextra magna hemisphaera gyrorum declivitas in tota superficie animadvertitur, qua fit, ut arterias venasque magnopere compressas et magnas solas modice multo nigro sanguine impletas videamus. In tota cerebri superficie Arachnoidea siccior est. Eademque loca subarachnoidalia dextri lateris paullulum tantum liquoris continent. In anteriore parte dextrae magnae hemisphaerae cerebri nonnullae maculae lenticulares usque ad pisi similitudinem e profundo perlucentes colore badio vel etiam subnigro, praeterea diversis locis pigmentum subflavum depositum invenitur. Non minus in meningeis inferiorum lobulorum dextrae cerebri hemisphaerae et quidem in ejus apice exterioreque latere maculae subcaeruleae, lenticulares usque ad pisi magnitudinem videntur, quae persectae ut recentes haemorrhagiae liquore plenae apparent. In basi cerebri et quidem in anteriore pontis superficie neque minus in locis quae illum circumdant recens infiltratio haemorrhagica meningearum, mediocriter patens, conspicitur. Arteriae vertebralis et basilaris latae sunt. Praecipue parietes arteriae basilaris condensati sunt et in calcem conversi. Erratico et multiplici lapsu serpit ad arteriam basilarem. Arteria fossae Sylvii et rami communicantes abunde dilatati eorumque parietes mediocriter condensati multisque locis in calcem

versi sunt. Etiam arteria corporis callosi aneurysmatice dilatata est. In nulla parte basis arteriae aut venae thrombi sunt cognoscendi. In sinistro ventriculo laterali non ita multum liquoris serosi, ventriculo dextro multa transudata insunt. Praeterea in dextra cerebri hemisphaera haemorrhagia pomo par animadvertitur, quae quum ex centro substantiae albae tegumentum ventriculi perforaverit, fons est sanguinis, qui ventriculo laterali inest. Locus perforationis, in medio ventriculi lateralis situs, $1\frac{1}{2}$" magnus est. Hoc loco substantia cerebri mollissima, oedematosa, thalami optici valde compressi sunt, plexus laterales et tela chorioidea valde carent sanguine. Haemorrhagia pertinet usque ad ventriculum tertium, ubi sub commissura molli sanguis porrigitur ad ostium aquaeductus Sylvii et porro per aquaeductum ad ventriculum quartum, cujus totum cavum sanguine expletum est. Et forma et color corporum striatorum normalis est. Dextra magna cerebri hemisphaera persecta maximam infiltrationem oedematosam et haud parvam utriusque substantiae mollitiem videmus. Arteriarum et venarum lumina videntur aperturae late patentes, ita ut substantia cerebri perforatum et cribrosum praebeat aspectum. Substantia cana aeque atque alba est perpallida ejusque arteriae et venae diversis locis dilatatae. Sinistra magna hemisphaera cerebri diversis locis persecta eodem modo, quo dextra, commutata est, attamen dilatationes arteriarum et venarum magis apparent, cerebri substantia admodum oedematosa.

Neque minus in cerebello utriusque substantiae infiltratio, quae tamen non tanta est magnitudine quanta in cerebro. In substantia alba complures inveteratae et recentes haemorrhagiae inveniuntur. Vasorum dilatatio etiam hic satis perspicua.

Ventriculus quartus dilatatus ubique rubidis thrombis abundat. Corpora quadrigemina contracta in anteriore et praecipue in sinistra parte aperte compressa sunt. In ponte persecto aeque atque in cruris pedunculis complures maculae lentis magnitudine inveniuntur. Nervi in basi siti complanati tenuesque sunt.

Microscopio adhibito cerebri vasa plerumque dilatata, praeterea multa Aneurysmata dissecantia esse cognitum, quibus effectum est, ut initio frequentes capillarum sanguinis diffusiones existerent.

Caetera organa non ita multum a normali habitu aberruerunt.

Si nunc licet ea quae sectione intellecta sunt, comparatione cum ipsius morbi progressu facta, respicere, res quae nobis occurrerunt ita simplicissime explicari videntur:

Ex inquisitione renum instituta ante omnia manifestum factum est, jam dudum morbum Brightii affuisse. Simul magna hypertrophia cordis imprimis sinistri apparuit, quae neque valvularum vitio neque alia immutatione morbosa perfecta explicari potest. Occurrit sane asperitas quaedam valvularum, quae tamen in caeteras cordis partes nullo momento esse potuit; sane autem strepitus systolici, qui aegroto

vivo audiebatur, aliquam affert explicationem. Quam ob rem nihil impedit, quominus concludamus, etiam in hoc casu cordis hypertrophiae causam in morbo Brightii esse collocatam. Quum vero renes, quamquam ex eorum conditione jam diuturnus morbus Brightii facile apparuit, tamen non adeo degenerati cogniti sint, quum ex hac re tum ex prospero effectu, quem cordis hypertrophiam, secundo loco exortam, in decursum morbi exercere oportuit (quod jam supra demonstravimus) intelligendum est, quam ob causam symptomata morbi tam parva fuerint, cur nullus hydrops, nulla uraemia orta sit. Itaque in hoc casu, quem tractavimus, per cordis hypertrophiam prosperam vim compensantem exercitam, postremo vero hoc in ipso casu mortem acceleratam esse videmus. Apparuit enim satis magna atheromatosa degeneratio arteriarum praecipue cerebri, cujus causa maximam partem jam in aegroti aetate sita fuit. Talibus autem conditionibus auctam cordis actionem perniciosam vim habere omnibus satis notum. Quod etiam in nostro casu accidisse animadvertimus. Sunt enim vasa atheromatosa cerebri rupta atque ita apoplectica effusio effecta, quae sola mortem afferre poterat.

Ex his quae diximus satis elucere nobis videtur quae rationes praecipue maximo sint momento in morbo Brightii tractando. Quo minus corporis nutritio prospere cedit, eo magis cordis actio deminuitur. Duo igitur praesto sunt momenta, quae letalem eventum accelerare queant. Qua de causa imprimis necesse erit, ut aegroto corroborantes dentur cibi,

veluti lac, caro, ova, quibus sanguini quam maxime albuminis jactura compensetur, simulque communi nutritione meliore reddita cordis vires recreentur atque confirmentur.

Haud minore vi nostro loco erunt ejusmodi cibi, qui eodem tempore vasorum actionem excitent, imprimis bonum atque forte vinum et cerevisia, dummodo cautione quadam in illis dandis utaris, quoniam quae postremo commemorata sunt remedia, si eodem tempore, ut exemplum afferam, atheromatosa arteriarum degeneratio adsit, summa pericula comparare possint. Quam deficile sit justa therapiae mediocritate in his casibus uti quisque sane intelliget. Ea vero regula ut in plurimis ita etiam in morbo Brightii tractando teneri debet, naturales et adjuvandi et sanandi conatus esse imitandos.

VITA.

Natus sum Guilelmus Josephus Geuenich in oppido Rhenano Düren, anno MDCCCXXXVIII, die XIX mensis Aprilis patre Arnoldo, matre Cordula e gente Hauff, quos adhuc superstites pio animo veneror. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Marcoduranum petii, quod etiam hoc tempore floret et viget auspiciis directoris Dr. Meiring, viri doctissimi. Maturitatis testimonio post octo annos praeditus in almam literarum universitatem Juliam Maximiliam Herbipolitanam me contuli, ubi a Prof. Edel, rectore magnifico, receptus apud Prof. Narr, ordinis medicorum decanum spectatissimum, nomen professus sum. Deinde universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam et almam hanc Gryphicam Musarum sedem petii.

Per quadriennium audivi disserentes:

Wirceburgi:

Ill. Osann: de physice experimentali.
Ill. Rumpf: de mineralogia.
Ill. Scherer: de chemia anorganica.

Ill. Koelliker: de anatomia corporis humani, de physiologia; idem dux mihi fuit in cadaveribus rite dissecandis.

Ill. Müller: de physiologia oculi, de osteologia, syndesmologia et neuralogia.

Ill. Schenk: de botanice.

Ill. Narr: de psychologia.

Ill. de Scanzoni: de arte obstetricia.

Ill. Rinecker: de materia medica.

Ill. Hoffmann: de logice.

Bonnae:

Ill. Troschel: de zoologia.

Ill. Bischof: de chemia organica.

Ill. Schultze: de anatomia organorum sensuum.

Gryphiae:

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de ophthalmiatrice, de herniis. Idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Ruehle: de pathologia et therapia speciali, de psychiatria generali. Idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Pernice: de morbis infantum, de morbis mulierum. Idem dux mihi fuit in clinico obstetricio.

Ill. Haeser: de historia medicinae, de pathologia et therapia generali, de encyclopaedia et methodologia medica.

Cel. Ziemssen: de auscultatione et percussione.

Cel. Eichstedt: de operationibus obstetriciis in phantomate peragendis.

Ill. Budge dux mihi fuit in arte cadavera rite dissecandi atque in exercitationibus de histologia.

Ill. Grohe: de anatomia generali et speciali; idem mihi dux fuit in exercitationibus de anatomia et histologia pathologica.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Cel. Laurer: de arte fascias rite alligandi, de arte formulas rite concinnandi.

Ill. Schultze: de anatomia comparativae.

Exp. Heineke: de anatomia topographica.

Exp. Schirmer: de ophthalmoscopia; idem dux mihi fuit in operationibus oculi in cadaveribus instituendis.

Quibus viris omnibus optime de me meritis summas ago gratias semperque habebo.

Nunc vero tentaminibus cum philosophico tum medico nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina, chirurgia, arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I.

In castratione ligatura totius funiculi spermatici non est timenda, attamen ei praeferenda ligatura partialis.

II.

Incipiente pneumonia venesectionem non plane rejiciendam esse contendo.

III.

Non in quoque Syphilidis secundariae symptomate statim medicamenta adhibenda sunt.